

1527 per Italiam universam rumor pervagaretur, inter foederatos contentiones, jurgiaque orta; Franciscum Sfortiam, quæ sibi ex foedere loca deberentur, non reddi mirum in modum conqueri; inde socias infringi, ac debilitari vires, ut si qui nuntiantes ex foederatis sint, parvo momento ad defectionem impelli possint, in dies Cæsareanis adnitentibus, ut quos possint a reliquis secretos ad suas partes pertrahant; in iis Florentinos esse, quos prece, pollicitationibus permovere, atque alligere contendant: & quoniam Lautrechium Bajardum hac de causa missurum in Gallias rumor erat, Regem rogare, ut statim tradi Sfortiæ Alexandriam; neque in posterum ullum impedimentum, quo minus civitates, atque oppida, quæ in Insulibris foederatis accederent, illi restituerentur, juberet: tandem Lautrechium urgeret, ut celeritatem virtuti conjungeret; in qua præsertim victoriam sitam esse constaret, hostibus ad paucitatem reductis, Antonio Leva agritudine laborante, atque imperatoris muneribus obeundis nequaquam idoneo. Hæc Lautrechio, & Regi Senatus significavit. Atque ut Sfortiam in fide retineret, Aloysio Sabadino Senatus a Secretis, qui Reipublicæ nomine apud Sfortiam morabatur, præcipitur, ut Ducem bono animo esse jubeat; nec ob ea, quæ Alexandria acciderant, demittere mentem velit, quam per varios fortunæ casus per tot annos exercuerat; sibi que persuadeat, infixum id Senatui hære, ut semel pro Italiæ libertate, atque pro ipsius incolumitate arma suscepta nunquam deponat, nisi ipse Alexandria non modo, verum omnibus suis ditionibus potiatur. Gabriele quoque Venerium antea designatum oratorem ad Sfortiam misit, ut iis, quæ e re communi forent, consilio, atque officiis præsto esse niteretur, cui in primis in mandatis Senatus dedit, summam Reipublicæ benevolentiam testaretur, nihilque illi antiquius fore, quam ut Mediolanensem ducatum integre obtineret: enixurum proinde, atque omnem operam, & studium, veluti pro Reipublicæ filio, insumpturum.

Verum Alexandria occupata, ad debellandos hostes id summo opere Veneti conducere arbitrabantur; si Lautrechius, Pado trajecto, Mediolanum versus copias omnes dirigeret; cum præsertim Antonius Leva, qui exercitum in suburbiis continebat, pecunia laboraret, undique querelis civium circumstrepentibus,

virque

Aloysius
Sabadinus
Venetus a
Secretis
apud Sfor-
tiam.

Gabriel Ve-
nerius ad
Sfortiam
Orator.